

QUÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 19. Februarij.

M. NICOLAO BRAYER
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

Fitne puro parcóque victu vegetius corpus, expeditior animus?

I.

QUANTUM sit mortis sub vitæ nomine, docent quotidianæ mortalium defectiones, citò quemvis extincturæ: nisi novæ in dies accedant fulturæ ruenti stomacho, & cadentibus cum ipso venis, partibusque corporis omnibus. Cùm enim ingenitus calor humidum naturale, nostramque adeo substantiam continenter dissipet; ne præpropere universa moles, ac vita eriperetur, necessariò cavendum fuit. In eam rem natura nobis insevit cibi potusque desiderium; illud, fames; hoc, sitis est. Cibo sarcimus quidquid solidioris substantiæ excidit, potu, quidquid humidioris: ceu quod effluxit aëreæ & igneæ, accepto per pulmonem arteriasque spiritu. Sed ut esculentorum ac poculentorum vis est, quam nulla res æquet, ac in amborum usu variè sæpiùsque delinquitur; Ita summi est ad vitam momenti rectè instituta vescendi ratio, sine quâ nihil unquam auspicatò geras; quâ solâ infirmioribus vitam in multos annos propages: nec raró velut ariete immaniores morbos præter omnium expectationem elidas: prorsùs ei qui corpore &

animo perdiù valere cupiat, cùm multa quæ ad victum pertinent, tenenda: tùm maximè quæ cujuſque cibi potuſque ſint vires atque diſcrimina; quis habendus utriuſque modus, quæ adhibenda copia.

II.

CIBUM potumque laudabilem à vitioſo diſcreturus, non omni utatur, quo populus, quo ἄσωτοι utuntur, non arido, frigido, quo minuitur corpus: ſed quo uno augeſcit ac floret, humido, dulci ſuaptevi, & manſueto: nihil quippe præter quàm dulce nutrit, tantúmque alimenti quæque res, quantum voluptatis continet. An idcircò Natura habet in delitiis ſuavitatem & mollitiem, ad quam tota ſe applicat & effundit. Certè quod acris, alieni, aut turbidi quidpiam in ſe cohibet, quamlibet feliciter decoquatur, quas attinget partes, ſuâ iſtâ imbuet, quam mordicus retinet pravitate; fere ceu canis rabidi virus, tandem in aliquod grande malum erupturâ. Removendum etiam quod eſt concoctu pertinax, quod tardi tranſitus, quod leve eſt, eáque indole, ut citiſſimè coquatur, & corrumpatur, in iis præſertim quibus calor igneus eſt & ſqualidus. Et illud videndum ne quæ apponuntur, pretio magis, quàm utilitate æſtimentur: ne voluptatis cupiditate quaſi transfixis, placiturum potius ſit profuturo. Uxorem poculis amatoriis virum adorſam, quis non execretur? Tu ingenio luxuriam adjuvabis, & in gulæ irritamentum, cibo, ſpecies, aromata, rei optimæ, peſſimam rem impunè adjunges: planè quo is eſt ſimplicior, purior, & parabilior; hoc præſtantior. Sed quandò nihil homini, ſic quomodo rerum naturæ ac beſtiis, quæ hujus ſpecula ſunt, placet; ſi quis emendationis indigeat; miſtionis lenocinio ſic concilietur, ut proſit: nec ſolùm palato; ſed etiam ventriculo, utili, & gratâ ſucci temperatione commendetur. Pulchrè ſuis rationibus providet, qui ejurat obſonia, ſalſamenta, bellaria, lagana, cruſtula, tubera, fungos, & blanda alia venena, quæ alliciunt veluti præſtigiis captam appetentiam: qui fædas, horridaſque eſcas, legumina, ſiliquas, hillas, pernas, fumo duratas carnes, quibuſcum acrior pugna ineunda eſt, nunquam deguſtat: parcè vel lectiſſimas, fame ſcilicet, non luxu impulſus: parciùs adhuc piſces, fructus fugaces, an & ad reponendum idoneos? Parciſſimè vinum, quod & nervis eſt inimiciſſimum, & malignè nutrit, & exedit vitalia, placido aquæ humore melius proluenda.

III.

NON minoris intereſt, quanto, quàm quo quiſque paſcatur alimento. Illius in utramque partem magna omnino vis. Nam & ſatietate nimiâ, corpus cruditate, quæ morborum omnium mater eſt, diſſilit: & eorum qui ſe inediâ macerant, exta ſeneſcunt celerius: hujus tamen, quàm iſtius longè leviora ſunt delicta: illa, nunquam utilis; hæc, ſæpiſſime. Modum cibariorum nemo facile definiat; quòd eorum, veluti corporum, diſpar ſit penitus ratio, non ſemper famis, ſitiſque ſedatione circumſcribenda. Bona quidem natura quantum appetit, tantum concoquere poteſt; frigida, minus; biliosa, plus etiam poteſt. Et famem faciliùs fert adoleſcens, quàm puer; deſes, quàm

exercitatus; in denso, quàm in tenui cælo; Hieme, quàm æstate; qui semel, quam qui esse bis die solet. Robustis liberiùs comedere licet, imbecillo stomacho, quo in numero fere sunt civilis litteratæque vitæ cultores, diligentiùs servandi; ut quod studij corporisque ratio detrahit, cura restituat. Refert etiam sitne firmum, an leve; stabile, an fugax alimentum. De mensa igitur cape quantùm debes, non quantùm cupis; id scilicet quod redintegratis; non oppressis viribus, fiat naturæ satis. Errabis nunquam si ad cibum tanquam ad medicamentum accedas, sumpturus quàm poteris parcissimè; si minùs ejus usu sis, quàm temperantiâ lætus. Propterea ne falsa inter gaudia rapiaris extra metas necessitatis, melius fuerit à convivio te retrahas, quàm adsis. Itane verò angustum, & conchilij more uni formæ mancipatum vitæ genus semper tenendum est, ut liberali amicorum invitationi interesse nefas sit? Imò tanquam in acie, cum voluptariis rebus congrediendum; ut ventre minus, quàm animo conviva, adversus eas, non tam fugâ, quàm constanti præsentiâ tutus; explicatam hilaritatem vitæ molestiis interponas, ut refoto ac reconcinnato animo, si quid in ipso est frigidæ tristitiæ, aut torpentis verecundiæ, diluas.

IV.

SUMMUM bonum est alimento non egere; ab hoc proximum, quamminimum requirere. Ad vitam itaque præstantiorem, quæ corporis animique pace ac vigore continetur, facilis est via, si bonis avibus ineatur. Ejus pars magna est venter docilis, bene moratus, modicâ salubrique escâ placabilis. Epulis se refercire, præceps est ad morbum gradus: quippe gravatus calor, molem quâ premitur, malè conficit; ut inde pestifera coacervetur illuvies, cujus virus vel in ipsum se fundit animum. Contra qui tenuem, sed nitidam mensam instruit (faciles enim fugere munditias, cibisque vesci contemptissimis; & dementis, & contra naturarum est) tardum dictu, magisne bonæ valetudini, an bonæ menti laboret? Nempe vegetus calor, quod nullo negotio decoxit alimentum, strenuè digerit in omnes membrorum particulas, quibus & sincerissimum affigit: quin & detrimenta quæ ex illo existunt, statim seposita, partium quibus id curæ est, robore, & quâ solet natura truduntur foras: aurâ autem levissimâ facilè per patentes meatus subeunte, calor ipse & spiritus quasi flabris recreantur, excitantur, acuuntur. Hinc nervi, partesque reliquæ jugi sanguis intaminati, ceu vivifici roris appulsu vigent, roburque citra molem colligunt; relucet in ore, vultu, totoque habitu, eximius quidam nitor virens, seniique nescius: fit corpus universum ad officium incorruptè fungendum habile, promptum, & ita alacre; ut si quid undelibet premat, subere levius se se mox efferat; id ne senectus quidem ipsa, quæ soluit omnia, frangit; adest denique firma, hilaris, nullisque morbis violanda valetudo, causis externis, dum nihil adjuvant inquilinæ cibus ac potus, niténtque intus omnia, prorsus oblanguescentibus. Nec clam est multos hemicranias, catharros, arthritidem, aliosque contumacio-

772.

res affectus abstersisse rigidâ abstinentiâ, quâ & recentes à Deo homines vitam in multa secula extendebant.

V.

NON solùm longioris vitæ; sed mentis erectioris, sapientiæ, prudentiumque consiliorum author est, & quasi parens tenuis cautusque victus: ut quàm crudis, dura; tam siccis proposita sint læta omnia. Horum seu ieiunorum, seu cœnatorum corpora, quòd ab omni sorde sint vacua, ab omni inferarum partium turba pressúque liber est animus: nullo nidore, nullâ tetrâ purgamentorum aspiratione aut contagione inficitur cerebri substantia clarioris tenviorisque sanguinis accessione sic temperata: ut qui inde ducuntur purgatissimi spiritus, ipsi, totique corpori suo fulgore colluceant, & partes illæ quibus anima nobiliora explet munia, solidis expressisque bonis cumulatè splendescant. Oculi puro lumine vigent, liquidus est ac penetrabilis auditus, est & acerrimum odoratus, gustatus, tactusque judicium; pedes certa imprimunt vestigia: mens ipsa, sicco corpore, quo cum rei mimum est, fulget veluti stella sereno cælo; in suaque regia lucidissima, nullo sensuum errore tracta, nullo caloris turbine acta, facili spiritu excipit germanissima rerum simulacra, quorum ope aspectu res clariùs cernit, ac dijudicat, acceptorum tenacissima. Dum autem ipsa sibi vacat, assiduâ rerum meditatione se se exacuit, magis ac magis enitescit, ut quasi divinâ luce radiata, bonarumque cogitationum epulis saturata; & valeat ipsa suis viribus, & velut è sublimi solio, sua singulis partibus scitissimè describat officia. Sed & quia summum in illas obtinet imperium, pacem cuncta tenent, silent omnes aversæ à ratione animi commotiones, quæ surgit dapibus incensa libido ventris castigatione friget. Ne plura, sobrij, & à vino integri, vel ubi se quieti tradiderunt, nec jam suis uti possunt membris ac sensibus, incidunt in visa jucunda, tranquilla, vera; quemadmodum helluones in perturbata, impura, & tetra.

Fit ergo puro parcóque victu, vegetius corpus, expeditior animus?

Proponebat Lutetiæ ANTONIUS DE SAINCT-YON, Parisinus, A. R. S. H. MDCLXXI.

PARISIIS,
Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis Typographi, viâ Citharæ.